

# LIBER III. LOGICAE

## DE RATIOCINATIONE ET ARGUMENTATIONE.

### P A R S I.

#### DE RATIOCINIO.

#### C A P U T I.

##### DE NOTIONE ET VARIETATE RATIOCINII.

---

§. I.

*Quid ratiocinari?*



Non tantum mens nostra res plurimas variasque percipit, nec convenientiam tantum idearum inter se perspiciens eas per adiutum conjungit, aut separat; verum mira ejus vis & sagacitas in eo se quam maxime manifestat, quod convenientiam & proportionem aut similitudinem quandam idearum ad-

M 2                      yer-

vertens unam veritatem ex alia jam cognita deducat. Plurima enim, imo fere innumera dantur iudicia, ex quibus deinde alia adhuc facili sequela fluunt. Quando igitur mens nostra supra alia iudicia reflectens ex his alia cum eisdem connexa deducit, ratiocinari dicitur.

### §. 2.

#### *Natura & definitio ratiocinii.*

**E**x quo facile colligitur natura ratiocinii, quae in illatione unius ex alio ponenda est, cum ea in omnibus plane ratiociniis obveniat: siquid enim adfirmatur aut negatur ideo, quod id ipsum jam antea adfirmatum aut negatum fuerit, habetur ratiocinium; sed sic adfirmare, aut negare, quid est aliud, nisi unum ex alio inferre? a Cicerone dicitur *ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, inducit.*

### §. 3.

#### *Divisio ratiocinii.*

**Q**uod duobus modis contingere advertimus; vel enim ad unum iudicium antea habitum reflectentes aliud cum eodem connexum ex priori inferimus; vel duas ideas cum tertia quadam comparantes illas vel in tertia unitas, vel distinctas observamus, sive easdem pariter uniendas aut distinguendas colligimus: primum ratiocinium inventivum, alterum vero demonstrativum dicere celebri Hollmanno placuit. Inter haec duo ratiocinii genera istud potissimum deprehendimus discrimen, quod in priore imprimis occurrat generale quoddam iudicium, ex quo deinde novum cum eodem

dem connexum infertur, sicque nova quasi veritas invenitur: in altero autem primo occurunt duas ideae, quarum inter se convenientia aut disconvenientia non statim patet; quod non raro ob idearum obscuritatem contingit: comparantur hae duas ideae deinde cum tertia quadam, ubi igitur cum tertia quadam conveniunt, inter se quoque easdem convenientes esse infertur; ubi autem una a tertia distinguitur, una vero cum tertia convenit, inter se easdem distinctas esse, concluditur.

### §. 4.

#### *De ratiocinio adfirmativo & negativo.*

**S**i vero ideas quasdam cum tertia quadam convertemus, easque cum tertia convenire adverentes, illas pariter inter se convenire inferamus, hocce ratiocinii genus adfirmativum est; sicut negativum contra, si una idea cum tertia illa conveniat, altera vero ab eadem tertia distinguatur, cum duas hasce ideas, a se invicem distinctas esse, inferendum sit. Quare ratiocinium uti judicium, in adfirmativum & negativum merito est dividendum.

### §. 5.

#### *De ratiocinio certo & probabili.*

**R**atiocinando itaque judicium unum ex aliis inferimus: cum vero judicium illa, ex quibus deinde alia inferri possunt, non semper certa sint & evidencia, sed saepius probabilia tantum, ea pariter, quae ex hisce sequuntur, probabilia tantum sunt, & cum quadam formidine de opposito conjuncta; imo non raro ipsa etiam connexio, quae conclu-

sionem inter & praecedentia judicia datur, non certa, sed probabilis tantum est, hinc non inepte ratiocinationem in certam & probabilem dividere posse puto. Ratiocinatio certa est; ubi & praecedentia judicia, ex quibus deinde conclusum sequitur, certa sunt & evidenter, & certa pariter datur inter praemissa judicia, & id, quod concluditur, connexio: ratiocinatio probabilis autem habetur, ubi vel praecedentium judiciorum aliquod probabile tantum est, vel non evidens datur praecedentia inter & id, quod infertur, connexio.

### §. 6.

#### *Quaedam corollaria.*

**E**x his, quae dicta sunt, sequentia fluunt corollaria.

I. Ratiocinatio in aliquo convenit cum judicio (ut vocant) immediato, in aliquo ab eodem differt: convenit in hoc, quod aequa ac judicium duas ideas inter se conjungat, aut a se invicem separat, unde ejusdem est cum judicio naturae: differt in hoc a judicio, quod in ratiocinatione fiat reflexio quaedam ad praecedentia judicia aut comparatio idealium per adiutum combinatarum cum alia quadam idea, quod non semper occurrit in judicio. P. Udalricus Weis omne quidem judicium ratiocinatum esse dicit, eoquod nullum absque ratione fiat; verum nobis id haud videtur: dantur enim quaedam ideae, quarum connexio per se & absque comparatione eum tertia patet.

II. Ex his porro facile solvitur quaestio, an ratiocinatio sit simplex mentis actus? si enim solum adiutum spectare lubet, qui ex aliis infertur, in hoc

hoc sane nulla reperitur compositio, uti patet ex illis, quae de judicio dicta sunt; si vero ad illationem attendere lubet, quae absque praecedentibus judiciis adesse neutiquam potest, ratiocinationem judicii dicere, non prohibuero. Interim requiruntur aequae ad judicium praeviae quedam ideae, quae tamen judicium non constituunt; ita pariter licet illationem necessario praecedant alia judicia, illa tamen tantum requisita, non constitutiva ratiocinationis dicenda esse, videntur.

---

## CAPUT II.

### DE PRINCIPIIS RATIOCINII.

---

#### §. I.

##### *Principia Ratiocinii adfirmativi.*

Ut rite unam veritatem ex alia inferamus, varia statuuntur & dantur principia, quae tamen plerumque magis ratiocinia demonstrativa, quam inventiva dirigunt; dividuntur autem haec principia communiter in metaphysica & logica. Metaphysica dicuntur ea, quae ab identitate aut distinctione rerum petuntur: cum de hisce agat metaphysica. Logica autem ea appellantur, quae ad extensionem aut comprehensionem idearum, de quibus logica tractat, spectant.

Ratiocinium in adfirmativum & negativum dividi posse, jam supra diximus, alia autem pariter principia ratiocinium adfirmativum, alia negativum dirigunt. Principium metaphysicum pro ra-

tiociniis adfirmativis statuitur sequens : *quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sive, quae sub eadem idea generali repraesentari possunt, inter se quoque conveniunt.* Quod principium ut teneat, illud tertium generaliter sumi debet : sicut id ipsum clarius edocebit principium, quod appellant logicum.

Est autem hoc : *quidquid continetur in comprehensione ideae cuiusdam universalis, illud etiam de quovis in extensione ideae contento adfirmari potest.* Hoc principium sat clare patet cuivis, qui, quid per comprehensionem & quid per extensionem ideae generalis intelligatur, sat bene novit. Sic in comprehensione ideae *hominis* continetur esse *substantiam*; igitur hoc quoque adfirmari potest de *Petro*, qui in extensione *hominis* continetur. Hinc bene sic ratiocinor : *omnis homo est substantia, Petrus est homo, ergo Petrus est substantia.*

### §. 2.

#### *Principia ratiocinii negativi.*

Principia, quae ratiocinationem negantem dirigunt, pariter duo communiter statuuntur, quorum unum metaphysicum, alterum logicum audit. Metaphysicum est hoc : *quaecunque sunt distincta in uno tertio, distincta pariter sunt inter se.* Ast, ut duo in uno tertio distinguantur, unum cum illo tertio idem, alterum ab eo diversum sit, oportet. Logicum autem principium, quod ad ratiocinium negativum pertinet, est hoc : *quidquid repugnat comprehensioni cuiusdam ideae, illud quoque curvis inferiori sub ejus extensione contento repugnat.* Sic comprehensioni ideae *hominis* repugnat

pugnat esse lapidem , cum igitur in extensione hominis continetur Petrus , etiam esse lapidem Petro repugnat; quare sic ratiocinari licet : nullus homo est lapis , Petrus est homo , ergo Petrus non est lapis . Ut autem haec principia melius adlibeas, oportet te claras rerum habere ideas & distinctas ; de obscuris enim , si ratiocinatus fueris , facile in errores incides; necesse est pariter , ut bene attendas , an aliquid in comprehensione , an in extensione continetur.

### §. 3.

#### *Quaedam Corollaria.*

Ex his , quae dicta sunt , sequitur I. tria in quovis ratiocinio judicia obvenire , quorum primum adserit in comprehensione ideae contineri hoc attributum , alterum adfirmat in extensione ideae reperiri hoc subjectum , tertium demum concludit etiam hoc attributum convenire huic subjecto : aut si ratiocinatio sit negativa , unum judicium negat attributum contineri in comprehensione ideae generalis , alterum adfirmat hoc subjectum contineri in extensione ideae generalis , sive denique concluditur negando , hoc attributum huic subjecto convenire.

Tres poro in ratiocinatione occurunt ideae ; duae scilicet , de quarum con- vel disconvenientia quaeritur , & tertia , cum qua duae illae comparantur , quaeque media dici consuevit . Media ista semel consideratur ratione comprehensionis , & semel ratione extensionis ; sic in posita antea ratiocinatione adformativa idea hominis quae media est , cum qua Petrus & substantia comparantur : in primo judicio spectatur ratione comprehen-

hensionis, sive adtribuitur illi idea, quae in ejus comprehensione continetur, in altero spectatur ratione extensionis, sive conjungitur cum idea, quae in ejus extensione continetur. Duea aliae extremae quasi sunt, quibus cum tertia comparatis concluditur, illas inter se convenire. Clarius ista patebunt, quando de principiis syllogismi agemus, quae cum his coincidunt.

III. Principia ratiocinii adfirmativi licet unum logicum, alterum metaphysicum dicatur, verbis quidem, sensu tamen parum inter se differunt. Idem de principiis ratiocinii negativi dicendum. Principia illa deduci possunt ex principio contradictionis: *quidlibet est, vel non est; vel idem non potest simul esse & non esse.* Quomodo autem haec principia ex eodem deducantur, in collegiis nostris explanabitur.

#### §. 4.

*Quid antecedens? quid consequens? quam inter utrumque connexio sit necessaria?*

Cum ergo in ratiocinio quovis tria occurrant iudicia, duo priora antecedens, tertium vero consequens dici possunt. Praeterea isthoc principium generalissimum pro quovis ratiocinio, imo & qualibet argumentatione statui potest: *inter antecedens & consequens vera detur & adcurata connexio.* An autem ejusmodi connexio adsit, & data principia & dandae adhuc regulae argumentationum manifestabunt: imo cuivis menti satis adtendenti, & praecjudiciis liberae haec connexio facile innotebitur.

#### §. 5.

## §. 5.

*Regulae quaedam generales concludendi.*

**G**enerales quasdam regulas, utpote cum principiis antea positis connexas coronidis loco hic adponimus: quarum

I. *Est: ex vero non nisi sequitur verum; illud enim, quod sequitur, cum antecedente debet esse connexum, alias sequela nulla est. Consequenter id, quod ex vero bene sequitur, verum esse debet.*

II. *Ex falso tamen quandoque potest sequi verum.*

III. *Ex necessario semper sequitur necessarium.* Ratio est, quia, ut ante dictum est, ex vero non sequitur falsum, quod tamen esset, si ex necessario sequeretur contingens, quandoquidem contingens est id, quod potest esse vel non esse, consequenter subponi potest esse falsum.

IV. *Ex contingentи sequitur contingens, nunquam tamen impossibile:* pars prima pater ab experientia, cum non saro inferamus contingens, atqui illud non potest inferri ex necessario, ergo debet inferri ex contingentи. Quod nunquam impossibile sequatur, patet iterum ex regula prima, quia alias ex vero posset sequi falsum; contingens enim potest esse verum, impossibile autem semper est falsum, ergo si ex contingentи posset sequi impossibile, ex vero posset sequi falsum.

V. *Ex possibili sequitur possibile:* nam, si duo possunt identificari cum medio in praemissis, etiam possunt identificari in conclusione.

VI. *Ex contingentи potest quandoque sequi necessarium, ut patet E.G. in hoc syllogismo: quidquid currit, est animal, aliquis canis currit, ergo est animal.*

CAPUT

C A P U T . I I I .

D E D E F E C T I B U S R A T I O C I N I O R U M .

§. 1.

*Quinam sint ratiociniorum defectus?*

**M**agna quidem est Ratiocinationis humanae vis, dos est soli menti spirituali conveniens; ast multa pariter sunt, quae eam deficere faciunt, & in complures saepe errores detrudunt: ea enim omnia, quae in primo logicae libro idealium claritati obesse diximus, ratiociniorum aequae defectus causant. Magis autem ratiociniorum veritatis sunt praejudicia & nimia mentis praecipitania; cum enim ex quovis fere judicio faciliter sequela alia adhuc judicia fluant; mirum non est, quod ex praejudicatis falsis opinionibus alia erronea judicia per ratiocinationem deducantur. Praecipititia mentis pariter impedit, ne consequentis cum antecedente connexio ea, qua decet, adtentione examinetur, quare pueriles incident in errores ii, qui animo non attendunt vel ad ideas, vel ad relationem illam, quae medium inter extremasve ideas datur. Egimus quidem in praecedentibus logicae libris de defectibus hujusmodi: luet tamen hic addere nonnulla ex Antonio Genuensi, quae adtentionem in ratiocinando quam maxime necessariam turbant aut minuunt.

§. 2.

*De voluptatibus.*

**Q**uae vero animi nostri adtentionem avertunt, sunt potissimum ea, quae mentem corporis  
vo-

voluptatibus mancipant: cum enim nullae voluptates sint intensiores, quam quae corpus adficunt, voluptatibus autem & doloribus quam maxime moveatur animus, inde fit, ut ille in voluptatibus ejusmodi aut doloribus ab omni plane inquisitione & adtentione sit plurimum remotus; hinc optime monet Antonius Genuensis: *Lib. 5. artis logicocrit. 3. Philosophus, qui veritatem quaerit, scito se non primum illam detegere posse, ac sincere intueri, quam a vehementioribus hujusmodi voluptatibus & doloribus animum vindicaverit.*

### §. 3.

#### *De affectibus.*

**A**lterum, quod adtentio[n]em quam **vehementi**s sine perturbat, quin eam omnino tollit, sunt affectus: siquidem illi maximam in mente impressionem faciunt, & juxta citatum Auctorem intensissimas quandoque voluptates aut dolores excitant: certum autem est, animum intensiori semper impressioni cedere: cum igitur affectus ex causis singularibus progignantur, ceu ex singularibus bonis vel malis, singularibus quoque objectis animum adfigunt, ut nulli alii rei contemplandae, neque ideis abstractis perscrutandis sit aptus. *Hinc Philosophus præ reliquis affectus ab animo cohibere debet, aut si eum invaserint, abstinere ab omni ratione & iudicio.*

### §. 4.

#### *De philautia.*

**N**ulli autem affectus nos turpius hallucinari faciunt, quam philautia; haec sane est, quae plu-

plurimorum judicii aequilibrium inclinat, & ex cuius praescripto non pauci de multis judicant. Haec illa est, quae in sententia ferenda primo consulitur, & quae latam jubet esse quam ratissimam. Nec aliae probationes hic adducendae, quam quae quotidianae sunt. Cur enim quaeso ab integra saepe natione varia judicantur certissima esse contradicentibus licet omnibus aliis nationibus, quam quod ista eorum bonis, famae, honoribus, si vera sint, faveant? Haec igitur philautia prohibet, ne aliarum nationum rationes libera mente perpendantur: perseveratur igitur in hisce ratiociniis falsis usque ad cineres, eoquod proprio commodo favere videantur. Nonne saepius istud ratiocinium occurrit? *buic ordini nomen dedi, ergo pro vero habendum istud ordinis privilegium.* Ita bene monet ars cogitandi. *Pag. 3. c. 20. sect. I.*

Ast haec fallacia magis elucescit variatis nonnunquam affectibus: quot enim videmus, qui nullas dotes naturales acquisitasve agnoscunt in iis, quos odio habent, seu quos diversa a se sentientes suisque cupiditatibus aut commodis repererint contrarios? hoc satis est, ut illico pro temerariis, superbis, perfidis, infamibus & impiis traducantur; si quis vero nostris utilitatibus, sententiis aut honoribus faveat, hoc non raro facit, ut eum vitae integrum & sceleris purum reputemus adeo, ut quamvis haec formalis ratiocinatio in intellectu non fiat: *amo hunc, ergo est hominum optimus: odi illum, ergo est pessimus:* fiat tamen clam aliquo modo interius in ipsa mente, ut haec aberrationes possint dici sophismata & deceptions cordis.

Eadem philautia seu nimis honorifica de se ingenioque suo praeconcepta opinio multis persuaderet,

det, omnes suas sententias esse clarissimas atque evidentes adeo, ut illas proposuisse ad assensum & fidem a quovis extorquendam sufficiat. Hinc non nulli hoc vitio laborantes, cum authoritatem a ratione nunquam distinxerint, parum curant, proprias sententias stabilire rationibus, imo & oppositas aliorum rationes negligunt, & non raro eos, qui aliter sentiunt, temerarios reputant.

Hinc sunt, qui quasi non alia ad contrariandum quibusdam sententiis ratione utuntur, quam hac plane frivola: *si id esset verum, ego non essem vir doctus, ergo id non est verum.* Haec sane ratio plures in contemptum celeberrimorum & acutissimorum systematum, neglectum utilissimarum experientiarum, celeberrimorum librorum odium induxit. Quare *Philosophus de suis humiliter sentiat, nec aliorum inventa negligat, sed ea acute perscrutari conetur.*

Detestabilius adhuc est illud philautiae vitium, quo adversarios a nobis dissentientes aliis odiosos reddere volumus. Saepius enim homines, dum alios contraria sentire perspiciunt, eos variis convitiis laceſſunt. *Vix binos* (ait ars cogitandi) *repereris causidicos, qui sibi invicem procrastinatas lites, veritatemque subdole occultatam non objicunt; adeo ut & qui recte & qui perperam sentiunt, eadem loquantur, de iisdemque querantur, atque eosdem sibi mutuo errores & vitia adſingant.* *Quo tamen vix est maius inter homines malum.* Quare saepius dubium manet, quid hac in materia credendum, cui parti sit adhaerendum; hincque viri prudentes ac moderati materiam dubiam controversamque tractantes omnino ab omnibus verborum aculeis abstineant, quam diu veritas aequitasque causae

causae, quam defendunt, abunde non fuerit adserta: nunquam adversarios pervicaces, temerarios, sensus communis expertes, Ecclesiam ipsam impugnantes, cumque haereticis sentientes dicent, prius quam hoc optime fuerit comprobatum; nec unquam effabuntur, nisi prius ostenderint, eos absurdas intolerabilesque ineptias effutire, cum tantundem dici ex altera parte possit sine ullo utrinque fructu. Sufficiat igitur Philosopho seu sapientiae amatori veritatem iis propugnare armis, quae veritati propria sunt, & quae a mendacio tractari non possunt, id est, claras solidasque tanrum rationes in medium producet; ubi autem ejusmodi rationes deficiunt, sententia in dubio relinquenda, aut saltem adversarios verosimiles pariter rationes pro se habere non dissimulabit.

### §. 5.

#### *De ambitione.*

**A**mbitio fere individua philautiae comes esse videtur, & plurimorum saepe animos possidet, eosque in caeteros suspicaces, invidos, malignos reddit, ut non nisi gravate ferant alios laudari, quia foli laudari cupiunt: cumque alter veritatem invenisse, aut novam aliquam lucem mundo ostendisse laudetur, occulte cupiunt ei hanc laudem surripere. Quae res facit, ut homines ambitiosi aliorum dogmata sine ulla rationis umbra impugnant, inventaque extenuent, hancque absurdam ratiocinationem quasi in animo adstruant: *hoc ego non dixi, aut docui, ergo est falsum seu imitile: hunc ego librum non scripsi, ergo malus est & ineptus.* Haec igitur ambitio contradictionis spiritum parit, quo suadente, dum aliena aut leguntur aut

aut audiuntur, iis leviter & perfunctorie, quae ad ea stabilienda seu probanda adducuntur, prælibatis toti se conferunt ad ea rimanda, quae in contrarium dici possunt, ut sic veritatis luci nebras offundant. Quare merito timet clarissimus Antonius Genuensis, ne, si iste contradictionis spiritus adhuc diutius in orbe terrarum sustineatur, totus mundus in scepticisimum incidat.

### §. 6.

#### *De obsequiositate.*

**Q**uae cum dicimus, non probamus illos, qui cum probe norint, quam ingrata sit contradicentium temperies, viam insistunt prorsus oppositam, id est, nemini contradicunt, omnia laudant, omnia adprobant, & hoc illud est, quod obsequiositas sive complacentia dici potest. Quae licet fortunis adaugendis sit adecommodatior, ratione tamen vitiandae non minus est exitialis: nam sicut contradicentes verum quandoque pronuntiant, quod aliorum effatis contrarium est, ita complacentes & obsequiosi omnia habent pro veris. Quae consuetudo primo judicium corrumpit, deinde mentem ipsam. Plura circa haec videantur in arte cogitandi *parte 3. capite 20.* ex qua varia circa hanc materiam desumimus.

### §. 8.

#### *De phantasiam.*

**T**ertiam causam, quae adtentioñem ad ratiocinium necessariam interturbat, adducit Antonius Genuensis phantasiam. Haec, ubi, ajente illo, paulo

vivacior est, & imaginibus corporeis gravida, potissimum iis, quae animum intensiori voluptate aut dolore agitare possunt, continenter intellectum a contemplatione revocat; haec, inquam, phantasia causat, quod mortalium plurimi res incorporeas meditari non satis valeant & intelligere; si quidem se non raro abstractis quoque contemplationibus immisceat, & res incorporeas formis corporeis adulteret; praeterea corporeis imaginibus vehementer intellectum adficit, ut is continuo a sublimi meditatione deturbetur. Inter reliquias causas, quae adtentionem nostram perturbant, est haec difficillima curatu; nam cum illa ab infancia usque dominari consueverit, atque nobis perpetuo inter res sensibiles versantibus corporeis figuris sit repleta, difficillimum profecto est adtentionem servare necessariam in ratiocinio de rebus plane spiritualibus: continuata tamen rerum abstractarum meditatione & usu phantasia in obsequium adigi potest. Ita Antonius Genuensis *Artis logicocriticae lib. 5. cap. 3.*

§. 9.  
De sensibus.

**S**ensus denique, cum animum voluptatibus variis deliniant, corporeisque impressionibus perpetuo divertant, adtentionem non solum perturbant, sed eam ab objecto proposito quandoque omnino avertunt: cumque fieri nequeat, quin unquam sine sensibus simus, aut iis non utamur, est haec perturbatione frequentissima; sic quolibet lumine paulo insolentiori, sono magis acuto, odore suaviori aut difficiliori &c. distrahemur, saltem usquequo meditationis habitum nondum contraxerimus. Quare necesse est, ut veri inquisitio & amor

amor magis nos moveat, quam ulla sensuum commotio. Hae igitur sunt generales causae, quae adattentionem ad ratiocinia necessariam perturbant aut avertunt: speciales autem fere innumerae esse possunt; nam eae omnes causae, quae aut dolores & voluptates in nobis excitant, aut affectus in nobis intendunt, aut phantasiam commovent & per vigilem reddunt, aut sensus adliuant & sibi mancipant, adattentionem nostram perturbant. Ita Antonius Genuensis.

### §. 10.

#### *De mediis adattentionem conciliandi.*

Vidimus haec tenus, quot & quae sint ea, quae adattentionem nostram perturbant aut minunt; inquiramus nunc pariter media, quibus illa conciliari posset. Et quidem, cum, ut supra dictum est, animus plerumque intensiori impressioni cedat, respuamus voluptates illas, quae animum nimis intendunt & occupant; curandum pariter, ut in nobis amorem sapientiae excitemus, quo animum quasi irretiamus & detineamus. *Sæpiissime observavi* (ait Antonius Genuensis) *tum me immotam servasse adattentionem, cum vehementi desiderio veri inveniendi impellerer, aut rerum, quas meditabar aut legebam, intentiori voluptate demulcerer.* Ut autem excitetur in nobis verus sapientiae amor, saepius perpendantur ingentes sapientiae fructus, quos ipsamet etiam sacra Scriptura pluribus in locis laudat & commendat. Sunt autem juxta Antonium Genuensem 1. nostri cura & conservatio, 2. honores & dignitates, quae scientias cum morum honestate coniunctas plerumque consequuntur, 3. bona

& divitiae, quas secum adfert, ubi illa in publicam utilitatem confertur, cui promovendae homini datur, 4. voluptates animae, quas ii sentiunt, qui veritates caeteris ignotas contemplantur; siquidem pariter ab erroribus humanae vitae infestis, aliisque affectibus misere homines agitantibus liberantur. Unde bene canit Lucretius:

*Suave mari magno turbantibus æquora ventis  
E terra magnum alterius spectare laborem;  
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,  
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.*

Praeterea ea ipsa, quae hæc tenus adtentionem nostram perturbare diximus, ad eandem excitandam & retinendam non nihil conferre possunt, si bene impendantur: sic sunt quaedam voluptates licitae, quae ubi moderatae fuerint, adtentionem acuunt: affectus pariter veri inquisitionem promovent, uti præ reliquis honoris cupido, & aemulatio: nec non sensus & experientiae non semper adtentionem turbant, sed quandoque intendunt; cum enim ob unionem corporis & animae rebus omnino abstractis minus tangamur, juvabit non nunquam res abstractas imaginibus phantasticis aut sensibilibus depingere, ut in iis animus detineatur; cavendum tamen, ne his imaginibus ita veritates intellectuales incrustentur, ut non amplius adpareant. Plura adtentionis fovendae & intendendae enumerat media Antonius Genuensis L. 5. c. 3. Sphis 10. II. & sequentibus, qui circa haec consuli potest.





## LIBER III. LOGICAE

### P A R S II.

### DE ARGUMENTATIONE.

#### C A P U T I.

#### DE NATURA, PARTIBUS AC DIVISIONE ARGUMENTATIONIS.

---

§. I.

*Quid sit argumentatio?*

Sicut ideas nominibus, & propositiōnibus iudicia, ita ratiocinationes argumentationibus exprimimus. Unde argumentationem aliqui *ratiocinium verbis expressum* esse ajunt. Potest tamen, ac in scholis communiter solet definiri argumentatio, quod sit *oratio, in qua unum ex alio inferatur*. Nobis argumentationis natura melius exponi non videtur, quam si dicatur *oratio unum de alio mediate,*

mediate, mediante scilicet eorum cum tertio comparatione, enuntiatis.

### §. 2.

#### *Principia argumentationis.*

**A**rgumentatio in adfirmativam & negativam bene dividitur. Propriis utraque principiis dirigitur, & adfirmativa quidem sequentibus: *quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se,* quod metaphysicum esse supra de ratiocinatione jam dictum fuit: & logico isto: *quidquid in comprehensione termini alicujus continetur, id de omnibus in extensione ejusdem termini contentis bene adfimatur.* *Dictum de omni* vocabant scholastici. Argumentatio contra negativa dirigitur principiis, metaphysico: *quaecunque in uno tertio distinguuntur, ea inter se quoque distincta sunt,* logico: *quidquid comprehensioni cuiusdam termini repugnat, id omnibus quoque in extensione ejusdem termini contentis repugnat.* *Dictum de nullo* in scholis istud adpellabant. Unde intelligis eadem esse argumentationis, quae sunt ratiocinii, principia.

### §. 3.

#### *Quae sint argumentationis partes?*

**U**nde, quemadmodum in ratiocinatione ideae tres, & tria itidem judicia, ita in argumentatione quacunque completa tres termini & tres pariter propositiones occurront; duae scilicet, in quibus extrema (ita vocantur termini, de quorum con-vel disconvenientia quaeritur) cum tertio quodam, quem medium vocant, comparantur, quae duae propositiones antecedens seu praemissae

missae sunt argumentationis ; & tertia, in qua ipsa extremorum con- vel disconvenientia enuntiatur, haecque consequens seu conclusio solet adpellari. In argumentatione quoque quacunque incompleta duae saltem habeantur propositiones , quarum prior seu illa, ex qua quid infertur, antecedens, posterior, seu quae ex alia infertur, consequens vocatur.

### §. 4.

*Quid majus, quid minus extremum? Quid major, quid minor propositio?*

Conclusionis seu consequentis terminos extrema vocari argumentationis, modo dictum fuit ; & specialiter quidem majus extremum dicitur praedictum conclusionis, ejusdem vero subiectum minus extremum dicitur. Inde praemissarum quoque altera major , minor altera vocatur : major , in qua habetur majus extremum, in qua minus extremum habetur, minor adpellatur: & quanquam in respondendo illa non ita adtendantur, propter eas tamen , quae de syllogismo infra dicturi sumus, probe observanda sunt.

### §. 5.

*De argumentationis bonitate.*

Quanquam , ut argumentatio quaevis bona sit & legitima, omnino requiratur, ut & propositiones singulae in ea occurrentes verae sint, & consequens cum antecedente sit connexum ita, ut, quia verum est antecedens, & consequens quoque verum sit: quam consequentis cum antecedente connexionem consequentiam vocamus. Unde

intelligis consequens verum esse posse, quin tamen vera sit consequentia, vcluti in hac argumentatione: *Judas fuit Christi discipulus, ergo est damnatus.* Usu tamen obtinet, ut argumentatio modo ratione materiae, modo ratione formae dicatur esse bona: Argumentatio ratione materiae bona dicitur, cuius singulae propositiones verae sunt, licet consequens cum antecedente connexum non sit, nec ex eo proinde sequatur: argumentatio contra vi formae bona dicitur, cuius consequens cum antecedente legitime connexum est ita, ut quoties antecedens admittitur esse verum, toties & consequens verum esse, admittendum sit; licet utrumque forte sit falsum.

### §. 6.

#### *Conclusio formalis & materialis.*

**D**istinctio isthaec inter argumentationem vi materiae & vi formae bonam, utut inanis sit & mere scholastica, distinctionibus tamen adhuc aliis ansam praebuit, & praefertim huic, qua conclusio-  
nen formalen inter & materiale distinguitur. Conclusio materialis dicitur propositio de se, ut ajunt, seu sine respectu ad praemissas considerata, quodsi vero ut deducta ex praemissis spectetur, conclusio formalis dicitur.

### §. 7.

#### *Argumentationis species.*

**P**raeter consequentiam, quam vocant simplicem seu immediatam, quae talis argumentandi modus esse dicitur, quo una propositione posita, simul ponitur altera, juxta regulas scilicet logicas defi-

definitionis, divisionis, oppositarum & aequipollentium antecedenter positas & declaratas, septem adhuc aliae argumentationum species in scholis communiter solent recenseri, suntque sequentes: *inductio, exemplum, sorites, dilemma, entyhemema, epicheirema, & tandem syllogismus.*

### §. 8.

*Quo ordine de his agere nobis constitutum sit?*

**Q**uoniam vero recensitae argumentationis species pene omnes tales sunt, ut ad syllogismum facile unum aut plures saltem revocari possint; de syllogismo primum, ac exinde de aliis quoque argumentationis speciebus agere consti-tuimus. Sit itaque

## C A P U T II. DE SYLLOGISMO.

### §. I.

*Quid fit syllogismus?*

**I**n syllogismo definiendo parum consentiunt Autatores. Syllogismus ab Aristotele describitur: *oratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud diversum a positis evenire, quia haec posita sunt: quae definitio clarius traditur ab aliis sequenti modo: est oratio, in qua duabus propositionibus positis, quarum altera major, altera minor vocatur, quae-dam propositio scilicet conclusio sequitur necessario ex*

eo, quod verae sint duae priores. Antonius Genuensis syllogismum dicit argumentationem, per quam posito toto aliquid efficitur necessario de parte, quae in eo continetur. Alii dicunt: est argumentatio, in qua quibusdam propositionibus concessis necesse est, alias concedere, eoque priores sunt concessae. Alii dicunt: syllogismus est argumentatio tribus propositionibus constans ita inter se connexis, ut tertia, quae vocatur conclusio, in altera praemissarum contineatur, & per alteram ostendatur eam contineri, atque adeo falsa esse non possit, si illae sint verae. Ut tamen, quid de definitionibus hic positis sentiamus, ingenue fateamur, nulla nobis placet; nec syllogismum melius exponi posse credimus, quam si argumentatio completa esse dicatur.

### §. 2.

#### *Divisio syllogismi in categoricum, complexum & compositum.*

Syllogismus varie dividitur, ac primo quidem in simplicem & compositum. Syllogismus simplex in categoricum seu talcm, cuius omnes propositiones terminis simplicibus constant, & complexum subdividitur. Syllogismus complexus ab Auctore artis cogitandi ille dicitur, cuius conclusionis termini, complexi cum sint, non toti & integri in praemissis sumebantur, sed pars tantum utriusque termini; veluti est sequens syllogismus: *sol est res sensu carens; Persae adorarunt solem; ergo Persae adorarunt rem sensu carentem.* Syllogismus compositus est, cuius una saltem praemissa est composta; hicque varie rursum pro diversitate scilicet propositionum compositarum subdividitur.

### §. 3.

§. 3.

*Divisio Syllogismi in perfectum & imperfectum.*

Syllogismus porro alias dicitur esse perfectus, imperfectus alias. Syllogismus perfectus dicitur, cuius forma utpote maxime naturalis cuique manifesta est & evidens. Syllogismus imperfectus est, cuius forma quodammodo involuta est, nec proinde tam facile a quolibet perspicitur.

§. 4.

*Principia syllogistica.*

Ex his, quae de syllogismo dicta sunt, intelligis, principia syllogistica alia non esse, quam quae argumentationis supra cap. *praeced.* esse diximus; unde illa hic repetere, necesse non est.

§. 5.

*Quid regulae syllogisticae?*

Ut vero, num principia in syllogismo praesertim categorico rite observata sint, facilius dispici queat; Logicis generales quasdam regulas statuere placuit, de quibus nunc agendum.



## CAPUT III.

REGULAE GENERALES SYLLOGISMI  
CATEGORICI.

## §. I.

*Quot & quænam sint regulæ generales syllogismi categorici?*

**O**sto communiter statuuntur syllogismi categorici regulæ fundamentales; quarum duae extrema, duae medium, duae præmissas, duae denique conclusionem dirigunt, & sequentibus versibus continentur:

1. *Terminus est triplex, major, mediusque minorque.*
2. *Latius hunc, quam præmissæ, conclusio non vult.*
3. *Nequaquam medium capiat conclusio oportet.*
4. *Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.*
5. *Utraque si præmissa negat, nil inde sequetur.*
6. *Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.*
7. *Ambae adfirmantes nequeunt generare negantem.*
8. *Est parti similis conclusio deteriorior.*

Hæ, inquam, regulæ præsenti capite fusiæ expondæ sunt.

## §. 2.

*Exponitur regula Ima.*

**R**egula Ima est: *terminus est triplex &c. seu in quolibet syllogismo categorico debent esse tantum tres termini, scilicet majus extreum, mi-*

*nus*

nus extre<sup>m</sup>um & medium, nec possunt esse pauciores nec plures, quod evidenter demonstrari potest. Imprimis non possunt esse pauciores; si enim pauciores essent v. g. tantum duo, ergo non datur tertium, cum quo illa duo extrema comparari potuissent, atqui tale tertium dari debet, ut patet in principiis syllogisticis, ergo. Deinde non possunt esse plures; si enim essent v. g. quatuor termini, tum vel omnes ponerentur in praemissis, & sic bis poni nequit medius terminus, neque duo extrema cum illo possent comparari, quod tamen exigitur, ut ex antedictis patet, aut unum extre<sup>m</sup>um identificari posset cum uno, alterum cum alio termino, sive pariter deficiat identitas aut distinctio duorum in eodem tertio; vel non ponuntur omnes quatuor in praemissis, ast sic duo identificabuntur aut distinguentur in conclusione, quae non sunt comparata cum medio in praemissis, seu quorum identitas non datur in praemissis. Hinc ratio fundamentalis utriusque partis est ista: quia principia syllogistica metaphysica non plures quam tres terminos requirunt, nec paucioribus salvantur; principia enim methaphysica sunt: *quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & quaecunque sunt distincta in uno tertio, sunt etiam distincta inter se;* atqui sic requiritur tertium, cum quo sint eadē, requiruntur duo, quae cum tertio sint eadē, aut quae in tertio distinguantur, ergo principia metaphysica requirunt tres terminos, nec paucioribus salvari possunt.

*Observa.* Hanc regulam, quod syllogismus tam  
tum tres debeat habere terminos, celeberrimus  
Verne<sup>rus</sup> cum quibusdam aliis ceu generale omni-  
um principium statuit, & ad hocce omnes reliquas  
syl-

syllogismorum regulas revocari posse adfirmat. Haec lex (sonant ejus verba) si recte intelligatur, sufficit, ut omnium syllogismorum varietatem recte compingamus; nam reliquae leges ad hanc revocantur. Veruntamen sunt quaedam leges, ut *nequaquam medium capiat conclusio oportet.* Item haec: est parti similis *conclusio deteriori*, quae valde difficulter ad hanc primam revocari queunt. Hinc an haec regula ceu generalis sit admittenda, hic non disquirimus; superfluum tamen non putamus, ei reliquas fundamentales syllogismorum regulas addere.

### §. 3.

#### *Exponitur regula 2da.*

**A**ltera fundamentalis syllogismorum regula est: *latius bunc, quam praemissae, conclusio non vult.* Id est: nullus terminus sumatur universaliter in conclusione, qui non etiam sumitus fuerit universaliter in praemissis. Haec regula variis modis exprimitur: V. g. non procedatur a non distributo ad distributum, seu nihil distribuendum in conclusione, quod non fuerit distributum in praemissis, sive extrema non sumantur latius, id est universalius in conclusione, ac sumta fuerant in praemissis. Ratio hujus regulae est: tam late possunt connecti duo extrema scilicet majus & minus extremum inter se in conclusione, quam late connexa fuerant in praemissis cum medio; terminus enim medius est mensura connexionis extremonum; atqui si unum extremum non fuit distributum in praemissis, seu non fuerit acceptum tam late quam late sumi poterat, & distribueretur in conclusione; tum in majori amplitudine connecteretur alteri extremo, quam

quam medio termino : ergo, si aliquod extreum non est distributum in praemissis, neque in conclusione distribuendum est.

Contra hanc regulam peccant sequentes syllogismi : *quod ego sum, tu non es; ego sum homo; ergo tu non es homo.* In hoc *homo* non distribuitur in minore, cum sit praedicatum propositionis affirmativa, & distribuitur in conclusione, ubi est praedicatum propositionis negativae, quod semper distribuitur.

2. *Francofurtum est in Europa; Moguntia non est Francofurtum; ergo Moguntia non est in Europa.* In hoc quoque proceditur a non distributo ad distributum ex parte majoris extremitatis, quod est *existens in mundo*; illud non distribuitur in majore, & distribuitur in conclusione.

3. *Quam diu Petrus est in templo, est pius; sed per semiboram quotidie tantum est in templo; ergo per semiboram quotidie tantum est pius:* pius enim latius sumitur in conclusione, ac sumptum fuerat in praemissis ob particulam tantum, quae est aequivalenter distributiva.

#### §. 4.

#### *Exponitur regula 3ta.*

Tertia syllogismorum lex est : *nequaquam medium capiat conclusio oportet.* Id est, medium qua medium non potest ingredi conclusionem. *Probatur :* medium est id, per quod probatur duo extrema esse eadem aut distincta inter se ; sed id, per quod probatur duo extrema esse eadem aut distincta inter se, non potest ingredi conclusionem ; cum id ipsum

ipsum in conclusione alias diceretur, & probaretur idem per idem.

*Collige:* cum medium in conclusione esse nequeat, illud bis ponitur in praemissis; cum illo enim utrumque extreum comparari debet, ut deinde concludi possit, duo extrema esse eadem, aut distincta inter se.

### §. 5.

#### *Exponitur regula 4ta.*

**Q**uarta syllogismorum regula est: *aut semel aut iterum medium generaliter esto.* Id est: medium vel in una praemissa, vel in utraque distribuatur, seu sumatur universaliter, id est, tam late, quam late sumi potest, secundum totam scilicet extensionem: terminus autem distribuitur, quando est subjectum propositionis universalis seu affirmativa seu negativa, aut praedicatum propositionis negativa, sive haec sit universalis, sive particularis. Quod autem medium debeat distribui, patet ex eo, quod terminus communis disjunctive seu particulariter acceptus non sumatur pro omnibus suis significatis, sed tantum pro quibusdam; si ergo in majore & minore medium sumatur tantum particulariter, poterit sumi in majore pro una parte & in minore pro altera parte suorum inferiorum, sicque dividetur in duas partes, quarum uni comparabitur unum extrellum, alteri alterum extrellum; non ergo extrema comparabuntur uni & eidem, quod tamen principia prima superius tradita requirunt. Deinde principia quoque docent, quaecunque sunt eadem uni tertio adaequate sumto, illa esse eadem inter se. Quodsi ergo

ergo medium, quod est illud tertium, non distribuatur, numquam sumitur adaequate, id est, numquam pro omnibus omnino inferioribus, pro quibus debet sumi, semper etiam tantum pro aliquibus sumitur; ergo si medium non distribuatur, peccatur contra principia metaphysica. Imo etiam principia logica non observantur, si medium non distribuitur; haec enim sunt: *quidquid dicitur de subiecto universaliter sumto, & quidquid negatur de quodam subiecto universaliter sumto, illud de quovis contento adfirmari aut negari potest*, ergo debet adesse aliquod universaliter sumtum, idque est medium.

### §. 6.

#### *Exponitur regula 5ta.*

**Q**uinta fundamentalis syllogismorum regula est: *utraquae si praemissa neget, nihil inde sequetur*: id est, si ambae praemissae negativae fuerint, nulla sequetur conclusio scilicet neque adfirmativa, neque negativa: quia principia syllogistica requirunt, ut una saltem praemissa sit adfirmativa; quod probatur: principium syllogisticum imprimis metaphysicum pro syllogismo negativo est: *quaecunque sunt distincta in uno tertio, sunt distincta inter se*; atqui hoc principium non servatur: nam, si ambae praemissae fuerint negativae, ambo extrema distinguuntur ab uno tertio; ergo non distinguuntur in uno tertio. *Probatur ulterius*: ut duo distinguantur in uno tertio, unum extremum deber esse idem cum tertio; atqui, si ambae praemissae fuerint negativae, nullum extremum dicitur esse idem cum tertio; ergo. Deinde quoque principium logicum, quod syllogismum negatum



vum dirigit, requirit, ut una praemissa sit adfirmans: nam principium logicum negativum syllogismum dirigens est hoc: *quidquid negatur de subjecto universaliter sumto, negatur etiam de quovis contento sub illo*; atqui hoc quoque requirit unam praemissam esse adfirmantem; ergo. Nam, si utraque praemissa est negans, tum non ostenditur, quomodo unum sub alio contineatur, quod una tamen propositio ostendere debet.

### §. 7.

#### *Exponitur regula 6ta.*

Sexta syllogismorum regula fundamentalis est: *Nil sequitur geminis ex particularibus unquam*: id est: si ambae praemissae sint particulares, conclusio legitima non sequetur. Syllogismus enim constans meris particularibus peccat contra principia syllogismorum directiva tam logica, quam metaphysica, quod probatur per partes: imprimis peccat contra principia logica, quae sunt: *quidquid dicitur de subjecto universaliter sumto, potest etiam dici de quovis contento sub illo*; item *quidquid negatur de subjecto universaliter sumto, negari etiam potest de quovis contento sub illo*; sed ubi utraque praemissa est particularis, nullibi subjectum sumitur universaliter, sed ubique sumitur particulariter; ergo. Neque servantur principia metaphysica: ubi enim ambae praemissae sunt particulares, non ostenditur ulla sufficiens connexio duorum cum uno tertio, ergo non servantur principia metaphysica. Probatur antecedens. Quaecunque connectuntur cum medio disjunctive solum sumto, non connectuntur uni certo  
uni-

universaliter sumto, sed tantum indeterminate sumto; atqui haec connexio non sufficit, ut duo dicantur esse eadem inter se; ergo. Ratio est 2do; ubi ambae praemissae sunt particulares, vel medium non distribuitur, uti contingit, si ambae sint adfirmantes, vel proceditur a non distributo ad distributum, uti quandoque contingit, si una ex praemissis sit negans; sed hoc utrumque regulae praecedentes vetant; ergo. Ex quo patet, hanc regulam necessariam non esse, sed ex prioribus deduci: interim tamen ponitur, ut syllogismorum vitia eo facilius deprehendi queant.

### §. 8.

#### *Exponitur regula 7ma.*

**S**eptima fundamentalis syllogismorum regula est:  
*ambae adfirmantes nequeunt generare negantem.*  
 Id est: si ambae praemissae fuerint adfirmativae, conclusio negativa sequi nequit. *Probatur.* Si ambae praemissae fuerint adfirmativae, duo extrema cum medio sunt conjuncta; ergo in conclusione a se invicem distingui seu separari nequeunt, quod fieret per conclusionem negativam. Haec regula cum per se satis clara sit, in ea probanda nolumus diutius versari.

### §. 9.

#### *Exponitur 8va syllogismorum regula.*

**N**unc demum ad ultimam syllogismorum regulam devenimus, quae sic sonat: *est parti similis conclusio deteriori.* Quae regula sic intelligenda est, quod nimis, quoties una praemissa

fit particularis, conclusio quoque debeat esse particularis, si praemissarum una negativa, conclusio quoque negativa, & si una praemissa sit solum probabilis, aut contingens, conclusio etiam solum pos- fit esse probabilis.

*Probatur.* Imprimis si una praemissa est particularis, conclusio quoque sit particularis; alias enim procedetur a non distributo ad distributum, seu plus dicetur in conclusione, ac dictum fuit in praemissis; eo namque modo extrema inter se sunt unienda aut distinguenda in conclusione, quo unita aut disjuncta fuere in praemissis cum medio; sed si una praemissa sit particularis, extremum aliquod tantum particulariter cum medio unitum aut disiectum fuit; ergo etiam in conclusione tantum particulariter inter se sunt unienda, aut distinguenda.

2. Si una praemissa sit negans, conclusio pariter negativa sit, est necesse. Alias inferretur extrema esse eadem inter se, quae non fuerant eadem cum tertio in praemissis.

3. Conclusio adsimilatur praemissae imperfectiori adeo, ut, si una praemissa fuerit contingens, conclusio quoque contingens sit dicenda: ideo enim connectenda sunt quaestioneis probandae extrema, eoquod in praemissis fuerant conjuncta cum medio; ergo etiam in conclusione tam fortiter debent conjungi, quam fortiter fuerant connexa cum medio; atqui cum medio tantum contingenter aut falso aut probabiliter connectebantur, si nimis una praemissa sit contingens, falsa aut probabilis; ergo etiam in conclusione tantum contingenter aut probabiliter aut falso conjunguntur. *Probatur alterius:* conclusio prout est conclusio, indivisi- bili-

biliter dependet ab utraque praemissa; ergo nullo modo una influit sine altera, consequenter si una praemissarum fuerit debilis, ipsa etiam conclusio debilis sit, necesse est.

### §. 10.

#### *Hic observanda.*

Sed hic observandum venit, quod lex ista uti & pleraque praecedentes non compositos sed simplices adstringant syllogismos; hinc valet v. g. sequens syllogismus disjunctivus S. Bernardi: *vel mundus fallitur, vel Christus errat; Christus non potest errare; ergo mundus fallitur;* syllogismorum enim compositorum speciales sunt leges inferiorius pertractandae.

2. Hae leges ad pauciores revocari possent, & juxta varios quidem ad has tres; syllogismus constet tribus terminis; medium semper distribuatur, & non procedatur a non distributo ad distributum: imo non pauci recentiores regulas has omnes ab hoc principio: *una praemissa contingat conclusionem, & altera manifestet, conclusionem contineri in ea,* dependere putant. Ait cum non raro vaide obscurum sit, quomodo conclusio in praemissis contineatur, attendendac sunt merito & habendae generales syllogismorum regulae, illique, qui has regulas superfluas, & inutiles dicunt non satis perpendere videntur, tyrones subsidiis non raro indigere, quibus provectiores forsan poterunt carere. Quare horum crisi non metuentes, ipsas quoque syllogismorum figuram specialesque cujuscunque regulas trademus.

## C A P U T IV.

## DE FIGURIS SYLLOGISMORUM.

## §. I.

*Quid sit majus, quid minus extreum?*

**Q**uanquam quid majoris, quidve minoris extreimi nomine veniat, jam supra Cap. I. §. 4. dictum sit; hic tamen, ubi de figuris syllogisticis agendum est, adcurate denuo utrumque definiendum esse ducimus, utpote cum ab adacurata utriusque determinatione figurarum numerus dependeat. Peripatetici, qui tres solum figuras syllogisticas admittunt, quartamque rejiciunt, insignem patiuntur in definitione majoris extreimi difficultatem; hinc fere tot majoris extreimi definitiones, quot Dialecticae aut Logicae vulgares dantur: pleraque tamen majus extreum dicunt esse id, quod nobiliorem locum obtinet in praemissis; nobilioremque locum dicunt esse praedicatum majoris. At cum in 2da figura, sicut infra dicetur, medium sit praedicatum majoris, an medium esse quoque majus extreum admittent? si vero haec majoris extreimi definitio tantum ad primam spe-  
ctare figuram dicitur, peccatur contra regulam definitionis, quae jubet definitionem convenire omni & soli. Alias majoris extreimi definitions silentio praeterimus; cum omnes vel vitio laborent, vel si non vitiosae sint, ex eisdem quarta figura induci possit. Vera igitur & generalis majoris extreimi definitio videtur nobis esse sequens: *majus extreum est id, quod per syllogismum de ali-*

*aliquo probatur*: quae definitio est generalis, & omni cuiuslibet figurae majori extremo convenit; hinc & bona & retinenda. Cum autem id, quod probatur, semper sit praedicatum conclusionis, in ius extremum quoque est praedicatum conclusionis; et demum, cum conclusio debeat respondere quaestioni, etiam majus extremum praedicatum quaestionis est dicendum. *Minus extremum est id, de quo aliquid in syllogismo probatur; & medium est, cum quo ambo extrema comparantur, ut inter se uniri aut disjungi queant.*

### §. 2.

*Quae propositio major, quae minor sit?*

**C**ommuni porro, quemadmodum id supra *eodem §. meminimus*, resumentium & respondentium usū receptum est, ut illa propositio, quae in syllogismis primo loco ponitur, adpelletur major; illa vero, quae 2do loco ponitur, minor vocetur; veruntamen, si syllogismi natura adcuratius inspiciatur, illa potius propositio major vocanda est, quae habet majus extremum, & illa minor, quae minus extremum complectitur: quocumque demum loco illae propositiones sint positae.

### §. 3.

*Quid sit Figura, & unde figurarum diversitas desumatur?*

**F**igura juxta communem Philosophorum sententiam est *apta extremorum cum termino medio ad concludendum dispositio*; hinc antequam prae-

missae ponantur, jam conclusio seu quaestio habetur in mente; ideo enim extrema cum medio termino comparantur, ut deinde concludi possit, illa esse eadem aut diversa inter se: consequenter antequam praemissae ponantur, quaestio resolvenda in mente exsurgit, cui conclusio deinde aequalis esse debet: & hac ratione, quot diversis modis medius terminus cum duobus extremis comparari potest, tot eveniunt figurae: hinc cum terminus medius quatuor tantum modis cum extremis comparari possit, vel enim medium subjicitur in majore & praedicatur in minore, & habetur prima figura: vel praedicatur in majore & minore, & 2da adest figura: vel subjicitur tam in majore quam minore & 3ta figura habetur: vel demum praedicatur in majore & subjicitur in minore, & 4ta figura dicitur: alia termini medii cum extremis comparatio dari minime potest, unde quatuor tantum & non plures figurae esse queunt. Hoc clarius adhuc pater ex ipsis combinationum regulis: per has enim certum est, tres terminos sex tantum vicibus aliter & aliter collocari posse adeo, ut unus quisque bis primo, bis altero, bis tertio toco ponatur; & cum terminus medius tertio seu conclusionis loco poni nequeat, siquidem in conclusione ponendus non sit, ut regula superius tradita docet, satis manifestum est, quatuor nec plures dari medii cum extremis combinationes.

#### S. 4.

#### *De quarta figura.*

Tres priores figuras, quas praecedente Spho re-censuimus, omnes quidem philosophi admittunt; at quartam, quam Averroës aliquie Galeni-cam

cam vocant, non pauci rejiciunt, eoque cam ex sola minoris propositionis in majorem transmutatione exoriri putent, illamque minus naturaliter concludere dicant. Verum hanc quartam figuram plures moderno tempore recipiunt variis eam rationibus stabilientes: hanc enim admittunt Verne-  
jus, illustris Wolffius, Auctor artis cogitandi, Purchotius, Corsinus, Jacobus Zarabella aliique hujus temporis sat multi egregii Philosophi. Hu-  
jus figurae historiam tradit iam dictus Jacobus Za-  
rabella in Prooemio libri singularis de quarta syl-  
logismorum figura (ut ex eodem refert Nicolaus Frobessius in compendio logicae Wolffianae) his  
verbis differens: *Quamvis Aristoteles in prioribus Analyticis firma ratione solidisque fundamentis nixus tres tantum posuerit syllogismorum figuras; tamen non defuere, qui eum mancum ac diminutum fuisse existimaverint, quod quartam praetermisserit, quam invenit Galenus, ut ei attribuit Averroës in Caput octavum L. I. priorum Analyticorum; in libris enim Galeni, qui nunc extant, nil de hac figura legimus, sed in aliis fortasse, qui desiderantur, & quos Averroës legit, hac de re sermonem fecit Galenus; quoniam autem credendum est, tantum virum non sine valida ratione ausum esse, adversus Aristotelem hanc sententiam proferre, non defuere viri eruditissimi, qui Galeni defendendi provinciam suscepérunt, & ejus dogma contra Ari-  
stotelem tueri, validisque argumentis munire, & a rationibus Averrois vindicare conati sunt. Cum celeberrimis hisce viris, a quibus quartam figu-  
ram defendi refert Zarabella, nos quoque senti-  
mus, quartamque dari figuram sequenti Spho-  
ostendemus.*

## §. 5.

*Probatur dari quartam figuram.*

Praeter tres reliquas figuras admittenda est etiam quarta. *Probatur*: tot dantur figurae, quot dantur variae medii cum extremis combinationes; atqui quatuor dantur medii cum extremis dispositio-nes; ergo etiam quatuor dantur figurae. *Proba-tur min.* De medio vel potest praedicari majus ex-tremum, & ipsum praedicari de minore extre-mo, ut sit in prima figura: vel medium potest praedi-carri de majore & minore extre-mo, ut in 2da figura accidit: vel de medio potest praedicari tam ma-jus quam minus extre-mum, ut in tertia figura ha-betur: vel demum medium potest praedicari de ma-jore extre-mo, & de medio praedicari minus extre-mum, & tunc quarta oritur figura; atqui hae sunt 4tuor medii cum extremis combinatio-nes; ergo quatuor dantur figurae.

Complures Peripatetici aliique quartam figu-ram impugnantes non diffitentur quidem quatuor dari extre-morum cum medio combinationes: ast quam quartam adsignavimus, non esse a prima extre-morum cum medio combinatione diversam adserunt: hinc quartam quidem figuram adstrui posse concedunt; verum illam a prima diversam & distincta esse negant. Contra hos sit

## §. 6.

*Quarta figura est revera distincta a prima figura.*

*Probatur 1.* Illa figura est distincta a prima figu-ra, quae plane aliam habet combinationem ex-tre-

tremorum cum medio; atqui quarta figura plane aliam habet extremorum cum medio combinacionem; ergo est distincta & diversa a prima. *Probatur min.* In prima figura de medio praedicatur majus extremum & medium praedicatur de minore extremo; & in quarta figura medium praedicatur de majore extremo, & minus extremum praedicatur de medio: atqui haec est plane alia cum extremis combinatio: aliud enim plane est, medium praedicari de majore extremo, ut sit in quarta figura, aliud majus extremum praedicari de medio, ut in prima figura contingit; ergo.

*Probatur 2.* Quarta figura habet aliam plane conclusionem ac prima figura, & prout conclusio requirit, etiam praemissae sunt dispositae; sed in conclusione essentia syllogismi consistit, ut fatentur complures Dialectici & Logici; ergo 4ta figura est essentialiter distincta a prima figura.

*Probatur 3.* Quarta figura alios plane modos habet ac prima figura; item speciales ac alias habet regulas, quam prima figura habet, ut patebit ex inferius dicendis; ergo etiam differre debet a prima figura.

Nec dicas 4tae figurae modos esse indirectos, consequenter non esse adaequate distinctos a primae figurae modis: non enim conclusio juxta praemissas, sed potius praemissae juxta exigentiam conclusionis sunt dirigendae. Hinc modi indirecti a nobis rejiciuntur: talis enim debet esse & manere conclusio, qualis est praecedens in mente quaestio, & juxta hujus deinde conclusio- nis exigentiam praemissae quoque diriguntur; & deinde aliarum quoque figurarum modi sunt in di-

directi, seu minus naturaliter concludentes, uti fatetur P. Höhn, aliquie Dialetici: cur autem duae aliae figurae pro reliquis modis statuuntur, & cur quarta rejicitur?

### §. 7.

#### *De modis indirectis.*

**Q**ui quartam figuram negant, quinque directos primae figurae modos introducunt sequentibus vocabulis comprehensos: *Baralip*, *celantes*, *dabitis*, *fapesmo*, *frisesom*: quos modos ideo indirectos adpellant, eoquod eorum conclusio sit indirecta, id est, non ita facta, prout praemissae exigant. Atenim nos meliori jure non tam conclusionem juxta pramissas faciendam, sed potius, prout conclusio exigit, pramissas esse disponendas adserimus: conclusio enim debet esse talis, qualis est praecedens in mente quaestio; sicque debent disponi praemissae, ut conclusio ex iis rite deducatur. Unde merito pro modis hisce indirectis quartam figuram substituimus, omnesque modos directos dicimus, eoquod sic sint dispositi, prout conclusio seu quaestio probanda exigat.



## CAPUT V.

DE QUATUOR FIGURARUM MODIS,  
REGULIS, AC REDUCTIONE SYLLO-  
GISMORUM EX MODIS RELIQUA-  
RUM FIGURARUM AD MODOS  
PRIMAE FIGURÆ.

### §. I.

*Modus quid? quinam perfectus, quinam im-  
perfectus dicatur?*

**M**odus est trium propositionum syllogisticarum apta secundum quantitatem & qualitatem dispositio. Alius est perfectus, alius imperfectus. Perfectus dicitur ille, in quo conclusionis cum praemissis connexio statim perspicitur: imperfectus dicitur, in quo conclusionis cum praemissis connexio non adeo clare patet. Soli primae figuræ modi sunt perfecti: at trium reliquarum figurarum modi imperfecti dici queunt, cum quoque praemissarum, vel conclusionis inversione, praemissarum transpositione ad primos quatuor, exceptis duobus, revocari aut reduci possint.

### §. 2.

*Quot dentur modi?*

**E**x combinationum doctrina novimus quatuor terminos, quales sunt: A. E. I. O. Si eorum tres sumantur, quoniam syllogismus tribus tantum constar propositionibus, non pluribus quam sexaginta quatuor vicibus aliter ac aliter disponi posse, id quod ex tabula in Purchotio parte 3. logicae cap. 3. delineata ad oculum pater. Jam vero ex isto numero propter

propter regulas generales, quae docent, nihil concludi ex duabus negantibus, aut ex duabus particularibus, excluduntur E, E, A, & E, E, I. item I, I, A, & O, I, A. &c. quorum sunt viginti octo, deinde per regulam, quae docet conclusionem sequi partem debiliorem, excluduntur A, O, A, A, O, E, E, O, I, &c. quorum sunt octodecim: porro per regulam, quae docet ex duabus adfirmantibus conclusionem negantem deduci non posse, excluduntur sex: A, A, E, A, A, O, &c. Praeterea per regulam, qua dicitur non posse generalibus sumi terminum in conclusione, quam in praemissis, modus I, E, O. expungendus est. Denique quia concludi non potest O. post A. E. quin etiam concludatur E. Modus A, E, O. est removendus, & sic ex 64. modis, quibus disponi possunt quatuor termini, removeri debent 54. & proinde residui sunt tantum 10. quorum 4. sunt adformativi, idest, quorum conclusio est adformativus, & 6. negativi, quorum conclusio est negans: hi autem 10. propter diversam medii dispositionem singulis figuris propriam 19. modis ad concludendum aptis ordinari possunt, & exprimuntur sequentibus vocabulis:

*Barbara, celarent, darii, ferio. Bamalipton,  
Camentes, dimatis, fesapno, fresisomorum.  
Cesare, camestres, festino, baroco. Darapti,  
Felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison.*

### §. 3.

*Exponuntur hi modi.*

**C**irca haec vocabula, quae de se barbara sunt, nihilque certi significant, ut tamen eorum mysticas,

sticas, ut ita dicam, significaciones rite intelligas, adtende 1. quodlibet tale vocabulum tribus syllabis constare exceptis *bamalipton*, & *fressomorum*, ubi autem ultimae syllabae *ton*, & *morum* metri tantum causa additae sunt; tres istae syllabae ternas syllogismi cuiuslibet propositiones indicant, juxta illos versus supra jam expositos:

*Adserit A*, negat *E*, verum generaliter ambo;

*Adserit I*, negat *O*, sed particulariter ambo.

Id est: vocalis in syllaba quadam occurrentis majoris aut minoris, item conclusionis quantitatem aut qualitatem denotat. Sic *A* significat propositionem universalem adfirmativam; hinc syllogismus in *Barbara* tribus constat propositionibus universalibus adfirmativis. *Celarent* significat syllogismum constantem majore universali negativa, minore universali adfirmativa, conclusione universal negativa. Ex hisce modis quatuor primi sunt perfecti & ad unam figuram, in qua medium in majore subjicitur, & in minore praedicatur, pertinent, qui sunt *Barbara*, *celarent*, *darii*, *ferio*. Reliqui omnes sunt imperfecti, & reduci possunt ad unum ex quatuor hisce modis primae figurae: hinc etiam omnia reliqua vocabula eisdem literis inchoantur, quibus primi 4.; ex quibus colligi potest, ad quem primae figurae modum possint reliqui reduci; sic *Bamalip*, eandem literam initialem habet ac *Barbara*, hinc ad *Barbara* reducitur, clementes ad *celarent*, cum quoque per C inchoentur &c. sed de hac reductione inferius plura.

*2do*. Reliqui modi, qui, ut jam diximus, omnes sunt imperfecti, adhuc in tres figurae dividuntur; hinc quinque sequentia vocabula: *Bamalip*, *clementes*,

*mentes, dimatis, sesapno, fresisom.* ad quartam figuram spectant, in qua medium in majori praedicatur, & in minori subjicitur. Quatuor sequentes ad 2dam figuram pertinent, in qua tam in majore quam in minore medium praedicatur: isti modi sunt, *cesare, camestres, festino, baroco.* Sex demum adhuc reliqui, nimirum *darapti, felapton, disamis, datisi, hocardo, ferison* ad tertiam figuram spectant; in qua medium bis subjicitur. Quatuor autem figurae sequenti versiculo indicantur.

I                    2                    3                    4  
*Sub prae, dum prae prae, dum sub sub, denique prae sub.*  
*Sub prae* indicat, quomodo medium ponatur in prima, hoc est, quod sit subjectum in majore, & praedicatum in minore. *Dum prae prae* indicat 2dam figuram, ubi medium bis est praedicatum; *dum sub sub* tertiam, ubi medium bis subjectum est. *Denique prae sub* quartam figuram significat, in qua medium praedicatur in majore, & subjicitur in minore. Pro hisce figuris speciales quoque regulae dantur sequenti §pho exponendae.

#### §. 4.

#### *Exponuntur regulae cuiuscunque figurae.*

**D**uæ sunt regulæ primæ figuræ; prima est: *fit minor adfirmans*, hoc est; illa propositio, in qua est minus extreum, sit adfirmativa; quia, si foret negans, conclusio quoque deberet esse negans, cum sequatur partem debiliorem, & major deberet esse adfirmans: alias praemissæ ambæ forent negantes: ex meris vero negativis nihil sequitur, ut supra ostendimus: sed si major sit adfirmans, ejus praedicatum, quod est majus extreum non distribuitur, quod tamen iā conclusione ne-

negante distribueretur, cum illius quoque sit praedicatum; consequenter procederetur a non distributo ad distributum, vel terminus sumeretur latius in conclusione, ac sumptus fuisset in praemissis: quare in hac figura minor debet esse affirmans.

Secunda regula est, ut *major sit universalis*: si enim particularis esset, medium, quod est ejus subiectum, seu quod subjicitur in majore, sumeretur particulariter; cumque minor debeat esse affirmans, ut ante ostendimus, medium, quod est praedicatum minoris, iterum sumeretur particulariter, adeoque medium non distribueretur; consequenter major in hac figura debet esse universalis: alias enim medium non distribuitur. Duae haec regulae sequenti versu exponuntur:

*Sit minor affirmans, major vero generalis.*

Quatuor primae figurae modi, quo facilius memoria teneri possint, sequentibus vocibus technicis notari solent: *barbara, celarent, darii, ferio*, quibus sequentes respondent syllogismi:

I.

*Bar-* Omnis spiritus est cogitans;

*ba-* Omnis anima hominis est spiritus;

*ra.* Ergo omnis anima hominis est cogitans.

2.

*Ce-* Nullum creatum est aeternum;

*la-* Omnis angelus est creatus;

*rent.* Ergo nullus Angelus est aeternus.

3.

*Da-* Omnis diligenter studens est laudandus;

*ri-* Quidam Logicus est diligenter studens;

*i.* Ergo quidam Logicus est laudandus.

4.

*Fe-* Nullum peccaminosum est desiderandum;

*ri-* Quaedam voluptas est peccaminosa;

*o.* Ergo quaedam voluptas non est desideranda.

II. Figura est, in qua medius terminus bis praedicatur: haec, ut bene concludat, observandae sunt pariter duae regulae, quarum *ima* est: *una ex praemissis sit negativa*. *Demonstratur*. Medium in 2da figura bis est praedicatum: quare, si utraque praemissa esset adfirmativa, medium bis esset praedicatum propositionis adfirmantis; atqui hoc esse non potest; quia medium alias non distribueretur: cum bis esset praedicatum propositionis adfirmantis, quod non distribuitur; ergo.

*2da Regula est: major debet esse universalis: nam, cum conclusio sit negativa, ut ex praecedenti regula patet, major terminus vel maius extremum, quod est praedicatum conclusionis sumetur universaliter; jam vero hoc idem maius extremum subjicitur in majori; debet itaque & ibi sumi universaliter: alias enim maius extremum sumetur latius in conclusione, ac sumptum fuerat in praemissis. Speciales istae duae regulae sequenti versiculo continentur:*

*Una negans esto, nec major sit specialis.*

Quatuor autem sunt modi 2dae hujus figurae his vocibus significati: *cесare*, *camestres*, *festino*, *baroco*: quibus sequentes syllogismos adponimus:

I.	2.
<i>Ce-</i> Nullus mendax est fide dignus;	<i>Cam-</i> Omnes, qui sunt Iesu Christi, crucifigunt carnem suam;
<i>fa-</i> Omnis homo pius est fide dignus;	<i>es-</i> Nullus mollis & voluptuosus crucifigit carnem suam;
<i>re.</i> Ergo nullus homo pius est mendax.	<i>tres.</i> Ergo nullus mollis & voluptuosus est Iesu Christi,

3. *Fes-*

3.

*Fes-* Nullum peccatum est  
llicitum;

*ti-* Aliqua oblectatio est  
llicita;

*no.* Ergo aliqua oblectatio  
non est peccatum.

4.

*Ba-* Omnis virtus pru-  
dentiam comitem ha-  
ber;

*ro-* Quidam zelus non ha-  
bet prudentiam co-  
mitem;

*co.* Ergo quidam zelus  
non est virtus.

III. Figura est, in qua medium tam in majori,  
quam minori subjicitur; illaque duas pariter regu-  
las speciales habet, quarum *prima* est, ut *minor sit adfirmans*; si enim foret negans, conclusio quo-  
que negans esse deberet, cum sequatur partem de-  
teriorem: major vero deberet esse adfirmans, cum  
negans esse non possit: quia alias ambae pae-  
missae forent negantes, siveque majus extremum,  
quod esset praedicatum conclusionis negantis, di-  
stribueretur in conclusione, & non esset distribu-  
tum in paemissis; quod est contra regulas genera-  
les syllogismi.

*2da Regula* est, ut *conclusio sit particularis*: mi-  
nor enim in tertia figura debet esse adfirmans, ut  
modo diximus; consequenter minus extremum,  
quod illius est praedicatum, non distribuitur: sic-  
que conclusio debet esse particularis: alias enim  
minus extremum sumeretur latius in conclusione,  
ac sumptum fuisset in paemissis. Hae duae regulae  
tertiae figurae hoc versu continentur:

*Sit minor adfirmans, conclusio particularis.*

Sex autem sunt modi hujus figurae, cum ex decem  
modis per primam regulam excludantur, A, E, E.  
& A, O, O. per 2dam autem A, A, A. & E, A, E.  
ergo sex adhuc modi supersunt: scilicet *darapti*,

*felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison,* quibus  
hi correspondent syllogismi:

1.

*Da-* Omne mysterium est  
obscurum;  
*rap-* Omne mysterium est  
certum;  
*ti.* Ergo aliquod certum  
est obscurum.

2.

*Fe-* Nullus homo est bru-  
turn;  
*lap-* Omnis homo est ani-  
mal;  
*ton.* Ergo aliquod animal  
non est brutum.

3.

*Di-* Aliquis homo est stu-  
diosus;  
*sam-* Omnis homo estra-  
tionalis;  
*is.* Ergo aliquod rationale  
est studiosus.

4.

*Da-* Omnis Dei servus est  
rex;  
*ti-* Aliquis Dei servus est  
pauper;  
*si.* Ergo aliquis pauper  
est rex.

7.

*Bo-* Quaedam ira non est  
peccatum;  
*car-* Omnis ira est adfetio  
animi;  
*do.* Ergo quaedam adfe-  
tio animi non est pec-  
catum.

6.

*Fe-* Nullum brutum est  
homo;  
*ri-* Aliquod brutum estra-  
gibile;  
*son.* Ergo aliquod rugibi-  
le non est homo.

IV. Figura est in cuius majore medium praedi-  
catur & subjicitur in minori: hujus tres dantur  
quoque Regulae a regulis primae figurae plane di-  
versae; ex quo colliges hanc ipsam figuram a prima  
differre. *ima Regula est:* si major sit affirmans, tum  
minor est universalis: nam medium in hac figura su-  
mitur particulariter in majore affirmante, cum sit  
illius praedicatum; ergo juxta quartam regulam fun-  
damen-

damentalem antea expositam debet universaliter in minore sumi, & eam reddere universalem, cum sit illius subjectum; caeteroquin enim medium nunquam distribueretur. *2da Regula est:* dum minor est affirmans, conclusio debet esse particularis. Etenim minus extremum, quod est attributum minoris, sumitur in ea particulariter; ergo & in conclusione, cuius est subjectum, sumendum est particulariter: alias enim plus dicetur in conclusione, ac dictum fuisset in praemissis. *3ta Regula est:* in modis negantibus, vel quorum conclusio est negativa, major debet esse universalis; ratio est, quia major terminus sumitur universaliter in conclusione negante, cuius est praedicatum; ergo etiam requiritur, ut sumatur universaliter in majore, cuius est subjectum. Hae tres Regulae sequentibus versibus includuntur:

1. *Major ubi adfirmat, generalem sume minorem.*
2. *Si minor adfirmet, conclusio sit specialis.*
3. *Cumque negans modus est, minor generalis habetur.*

Quinque pariter sunt modi hujus figurae sequentibus vocabulis expressi: *bamalip*, *camentes*, *diamatis*, *fesapno*, *fressom*: quibus sequentes syllafisni correspondent.

1.	2.
<i>Bam-</i> Omnis homo est creatura;	<i>Cam-</i> Omnis homo Deo serviens venit ad coe- hum;

- |   |  |
|---|--|
| <p><i>a-</i> Omnis creatura de-<br/>pendet ab alio;</p> <p><i>lip.</i> Ergo aliquod depen-<br/>dens ab alio est ho-<br/>mo.</p>                                     | <p><i>en.</i> Nullum veniens ad<br/>coelum est coinqui-<br/>natum;</p> <p><i>tes.</i> Ergo nullum coinqui-<br/>natum est Deo servi-<br/>ens.</p>   |
| <p><i>Dim-</i> Aliquod animal est<br/>brutum;</p> <p><i>a-</i> Omne brutum est ir-<br/>rationale;</p> <p><i>tis.</i> Ergo aliquod irratio-<br/>nale est animal.</p> | <p><i>3.</i></p> <p><i>Fes-</i> Nulla materia est co-<br/>gitans;</p> <p><i>ap-</i> Omne cogitans est<br/>beatitudinis capax;</p> <p><i>no.</i> Ergo aliquod beatitu-<br/>dinis capax non est<br/>materia.</p> |

*Fres-* Nullus miser est sua sorte contentus;  
*is-* Aliqui sua sorte contenti sunt pauperes;  
*Om.* Ergo quidam pauperes non sunt miseri.

### §. 5.

*De reductione syllogismorum ex modis trium po-*  
*steriorum figurarum ad modos primae*  
*figurae.*

**Q**uartuor primae, totidemque secundae, sex  
 tertiae, ac quatuor plus uno quartae figurae  
 modos esse, ex dictis constat: qui cum in summam  
 collecti efficiant novendecim, novendecim diversos  
 dari modos liquet. At ex modis illis novendecim  
 non nisi quatuor primae figurae modos perfectos,  
 caeteros reliquarum figurarum imperfectos, ac  
 syllogismos proinde in illis modis ad modos pri-  
 mae figurae esse reducendos, supra jam innuimus.  
 Unde, quid sit reductio, & quanam ratione fieri  
 possit ac debeat, paucis nunc exponendum.

### §. 6.

## §. 6.

*Reductio quid & quotuplex?*

**R**eductionem, de qua loquimur, non esse nisi talem syllogismi immutationem, ut ex syllogismo in modo quocunque trium posteriorum figurarum fiat syllogismus in modo quodam primae figurae, ex dictis manifestum est; quod, cum duobus modis fieri possit, per ostensionem scilicet & per impossibile seu ad incommodum, reductio porro duplex statuitur, per ostensionem altera, altera per impossibile seu ad incommodum.

## §. 7.

*Quinam syllogismi per ostensionem. quinam per impossibile sint reducendi?*

**P**er ostensionem reduci possunt syllogismi in modo quocunque trium reliquarum figurarum exceptis solum *baroco* scilicet in secunda, & *bocardio* in tertia figura, qui non nisi per impossibile reduci possunt; quod litera C. indicatur, sicut infra dicetur.

## §. 8.

*Qua ratione fiat reductio per ostensionem?*

**U**t autem syllogismum quemcunque per ostensionem facile reducas, adverte i. in qua figura, ac in quo illius figurae modo sit syllogismus reducendus: quod ex quo colligi possit, jam supra §. 3. dictum fuit. Literam exinde initialem modi illius imperfecti adnota: ad illum enim primae figurae modum reduci debet, qui eandem cum modo

modo imperfecto literam habet initialem : sic syllogismus v. g. ex *cesare* in secunda figura ad *celarent* in prima figura reducendus est. In modo imperfecto ulterius adtende consonantes S. P. & M. ut intelligas, qua ratione singulae syllogismi imperfecti propositiones immutandae sint, ut fiat perfectus : consonantes namque S. & P. indicant propositionem, quam subsequuntur, esse convertendam, & S. quidem simpliciter P. vero per accidens. M. autem denotat praemissas esse transponendas, ita, ut major fiat minor. C. , si quando occurrat, sicut occurrit in modis *baroco* & *bocardo* , indicat, syllogismum non nisi per impossibile posse reduci, juxta versus sequentes :

*S. vult simpliciter verti: P. vero per accid.*

*M. vult transponi: C. per impossibile duci.*

### §. 9.

*Quo modo fiat reductio per impossibile?*

**Q**uanquam singuli non modo trium posteriorum, sed vel primae etiam figurae syllogismi per impossibile seu ad incommodum, ut ajunt, reduci queant; non hic tamen nisi syllogismos in modis duobus *baroco* scilicet & *bocardo*, ut pote qui per ostensionem reduci non possint, per impossibile reducendi modum regulasque indicabimus. Fit autem reductio per impossibile, si contradictoria adsumatur conclusionis, eaque loco unius praemissae & in *baroco* quidem loco minoris, in *bocardo* autem loco majoris ponatur, & ex hac simul & altera praemissa retenta inferatur conclusio, quae inde sequitur juxta hos versus :

*Servat majorem, mutatque baroco minorem.*  
*Majorem mutat, retinetque bocardo minorem.*  
 Addunt quidam reductionem quandam anomalam, in qua loco medii communis singulare ponitur; sed ad syllogismos modo tertiae figurae pertinet, nec reducio proprie talis est: per expositionem illam vocant.

---

## C A P U T VI.

### DE SYLLOGISMIS COMPLEXIS ET COMPOSITIS.

---

#### §. I.

*Syllogismus complexus quinam dicatur?*

**D**ari quosdam syllogismos, quos complexos vocat Auctor *artis cogitandi*, jam supra minimus. Sunt autem syllogismi complexi juxta eundem Auctorem *artis cogitandi* ejusmodi, quorum conclusionis termini, complexi cum sint, toti & integri in praemissis non sumebantur, nec integri termino medio uniebantur, sed pars tantum utriusque termini; veluti sunt syllogismi sequentes: *pecunia est res inanimata; multi homines serviunt pecuniae; ergo multi homines serviunt rei inanimatae.* In omni scientia adserita debent demonstrari; *Logica est scientia; ergo in Logica adserata debent demonstrari.*

P 5

§. 2.

## §. 2.

*Syllogismi complexi cur cryptici quandoque vocentur?*

In hisce syllogismis primo statim intuitu plerumque plures quam tres adesse termini, ac ipsi proinde impingere videntur in primam ex regulis syllogismorum generalibus; cum tamen nominisi tribus vere & re ipsa constent, quod ex eorum resolutione facile cuique patet; cum vero syllogismi, qui contra generales syllogismorum regulas pecare videntur, re tamen ipsa easdem observant, cryptici vocentur; intelligis, cur syllogismi complexi crypticis adnumerentur.

## §. 3.

*Syllogismorum complexorum bonitas unde aestimanda?*

Ut vero, an syllogismus quicunque complexus bonus sit & legitimus, an vero vitiosus, facilius deprehendas: adtendas, an ejusdem termini ad tres possint reduci, an non? Alii in syllogismis complexis locum habere contendunt principium illud generale: *praemissarum una continet conclusio nem, altera eam contineri ostendat*, atque ex eo plane dijudicandam esse ajunt syllogismi complexi bonitatem: de quorum tamen adassertione quid sentiamus, jam supra Cap. 3. §. 10. sat declaravimus.

## §. 4.

*De syllogismis compositis.*

Syllogismi compositi, si non omnes, saltem plerique ad simplices & categoricos revocari possunt; unde

unde & regulae, quas supra pro syllogismo categorico tradidimus, eisdem applicari, nec non per hasce regulas compositorum syllogismorum vitia deprehendi queunt. Unde non omnium syllogismorum compositorum mentionem hic facimus, sed tantum eorum, quorum usus in argumentando saepius occurrit, suntque sequentes: *conditionalis* scilicet seu *hypotheticus*, *disjunctivus* & *copulativus*.

### §. 5.

#### *De syllogismo conditionali.*

**S**yllogismus *conditionalis* seu *hypotheticus* est, cuius major est propositio *conditionalis*: veluti est sequens syllogismus: *si sol nobis lucet, dies est;* *atqui sol nobis lucet; ergo dies est.*

### §. 6.

#### *Regulae syllogismi conditionalis seu hypothetici.*

**R**egulae syllogismi *conditionalis* sunt: 1. *Ad affirmato in minore antecedente bene in conclusione* *adfirmatur consequens*: & *negato in minore consequente, bene in conclusione negatur antecedens*. Contra 2. *negato in minore antecedente non continuo licet in conclusione negare etiam consequens*, nec *ad affirmato consequente licet affirmare antecedens*, nisi *antecedens unica sit ratio sufficiens consequentis*. Horum exempla vide in syllogismis sequentibus: Exemplum 1. *si anima cogitat, simplex est; atqui anima cogitat; ergo simplex est.* 2. *Si mens hominis est composita, corruptioni est obnoxia; atqui mens humana corruptioni non est obnoxia; ergo non est composita.* 3. *Si materia cogitat, materia est*

*sub-*

*substantia; atqui materia non cogitat; ergo materia non est substantia.* 4. *Si Petrus blasphemus est, reus est mortis; atqui Petrus reus est mortis; ergo blasphemus est.* 5. & 6. *Si mens humana spiritus est, intellectu gaudet & voluntate. Hic quocunque affirmato, aut negato & alterum affirmare licet, aut negare.*

### §. 7.

#### *De syllogismo disjunctivo.*

**S**yllogismus *disjunctivus* est, cuius major est *propositio disjunctiva*, veluti est hic syllogismus: *anima vel simplex est, vel est composita; atqui anima composita non est; ergo simplex est.*

### §. 8.

#### *Notandum circa syllogismum disjunctivum.*

**C**irca syllogismum tamen disjunctivum hic observa, quod, cum propositio disjunctiva duplex sit, alia scilicet proprie & stricte disjunctiva, alia impropre seu minus stricte disjunctiva *L. 2. P. 2. Cap. 4. §. 4.* sic ipse quoque syllogismus in stricte & minus stricte disjunctivum dividi possit: syllogismus porro stricte disjunctivus vel duobus solum vel pluribus constat membris.

### §. 9.

#### *Regulae syllogismi disjunctivi.*

**I**n syllogismo stricte disjunctivo, si duobus solum membris constet, quocunque membro in minori affirmato, alterum membrum negare licet in  
con-

conclusione, & quocunque membro in minore negato, alterum in conclusione licet adfirmare. Veluti in hoc syllogismo: *anima vel simplex est vel est composita; atqui anima composita non est; ergo simplex est.* Vel etiam: *atqui anima simplex est; ergo non est composita.* In syllogismo stricte disjunctivo, pluribus quam duobus membris constante membro uno in minore adfirmato, caetera negantur in conclusione, & uno negato in minore, caetera disjunctive possunt adfirmari in conclusione. V.g. *Judas vel est in inferno, vel in coelo, vel in purgatorio; atqui est in inferno; ergo nec in coelo nec in purgatorio est.* Sive: *atqui non est in coelo; ergo vel in purgatorio, vel inferno est.* Syllogismo impropius seu minus stricte disjunctivo nolumus immorari.

### §. IO.

#### *De syllogismo copulativo.*

**S**yllogismus copulativus est, cuius major est propositio copulativa & quidem negativa v.g. *non potest homo servire Deo & mamonae; atqui avarus mamonae servit; ergo avarus non servit Deo.*

### §. II.

#### *Notanda circa syllogismum copulativum. Ejusdem regulae.*

**C**irca syllogismum vero copulativum observandum venit, quod ejus membra sibi invicem ita opponi debeant, ut simul vera esse nequeant; unde fluit regula: in syllogismo copulativo uno membro in minore adfirmato in conclusione alterum negare licet: non autem uno membro in minore negato in conclusione alterum licet adfirmare, nisi immediate sibi sint opposita.

§. 12.

## §. 12.

*Quare reliqui syllogismi compositi praetermittantur?*

**R**ecensitis haec tenus syllogismorum compositorum speciebus plures adhuc alii adjiciunt. Sic aliqui commemorant syllogismum exclusivum, exceptivum alii; alii syllogismi reduplicativi speciale mentionem faciunt, & alii tandem de his omnibus singillatim disputant. Verum, cum syllogismi hi omnes ad simplices facile reduci queant, quemadmodum id supra §. 4. *buj: Cap. meminimus*, nec aliunde ex propositionum scilicet compositorum, quibus constant, natura & proprietatibus speciales corundem regulae haud difficulter colligi possint, studio hic eos silentio praeterimus.

## §. 13.

*De syllogismis modalibus.*

**C**irca syllogismos tandem modales hic adhuc observandum venit, quod facile reduci possint ad syllogismos simplices & categoricos; unde eisdem regulis, quas supra pro simplicibus tradidimus, sunt dirigendi; id tamen attende, ut modus illi termino, cui est adfixus, semper maneat adfixus; de caetero cave, ne in aliquam ex regulis syllogismorum simplicium impingas, v. g. mutando subpositionem distributivam in collectivam: sic impingit iste syllogismus modalis: *moraliter impossibile est sine gratia Dei extraordinaria vitare omne peccatum veniale; atqui mendacium jocosum est peccatum veniale; ergo moraliter impossibile est sine gratia*

tia Dei extraordinaria vitare mendacium jocosum.  
Praeterea ne ponas praemissas ambas aequivalenter  
negativas , ut sit in hoc sophismate : *impossibile est*  
*oculum corporeum elevari ad videndum Deum; atqui*  
*impossibile est intellectum esse oculum corporeum;*  
*ergo impossibile est intellectum elevari ad videndum*  
*Deum.* Haec de modalibus sufficient.

## CAPUT VII.

### DE RELIQUIS ARGUMENTATIO- NUM SPECIEBUS.

#### §. 1.

*Quaenam sint reliquae argumentationis  
species?*

**E**xpositis hactenus , quae ad syllogismum per-  
tinent , restat , ut de reliquis porro argu-  
mentationis speciebus aliquid dicamus. Sunt  
autem reliquae illae argumentationis species , quem-  
admodum nos eas jam supra *Cap. 1. hujus Part. §.*  
7. recensuimus , praeter consequentiam , quam vo-  
cant , immediatam *inductio* , *exemplum* , *forites* ,  
*dilemma* , *enthymema* , *epicherema*.

#### §. 2.

*De inductione.*

**I**nductio est argumentatio , in qua de genere  
aut specie universè adfirmatur aut negatur,  
quod

quod de contentis sub eo inferioribus singillatim antea adfirmatum aut negatum fuit. Inductio , ut valeat, completa sit, necesse est ; unde intelligis, per inductionem ab individuis de specie non posse facile aliquid efficaciter probari , nisi forte ostendatur , determinationem individuo , quatenus ad speciem quandam pertinet , esse essentiale. In physicis & astronomicis , ubi hoc argumenti genus frequentissimum est, analogiae multum tribuitur, adeo, ut adtributum, quod cognitis omnibus speciei inferioribus singillatim convenire deprehenditur , & ignotis quoque dicatur inesse : hac ratione pleraque veritates physicae detectae sunt. In moralibus quoque praesertim in divinandis humanae voluntatis determinationibus usui est. Caeterum vitiosa est induc<sup>t</sup>io, quoties vel unum adsignari possit inferius, cui , quod caeteris tribuitur, non conveniat. Ad syllogismum reducitur induc<sup>t</sup>io , quodsi majoris loco sequens , cui innititur, addas principium : *quidquid de singulis inferioribus universo adfirmari potest aut negari, id etiam simpli- citer de toto genere vel specie, sub quo illa ceu inferiora continentur, adfirmandum est vel negandum.*

### §. 3.

#### *Cautio necessaria.*

**C**aveas tamen, ne vitia & errores, quios in uno alterove communitatis, sectae &c. membro deprehenderis , omnibus ejusdem communitatis sectae &c. communes esse , argumento ab inductione ibi persuadeas , & ita in multis, totamque communitatem injuriis evadas ; nihil enim in vita sociali hoc convitiandi genere frequentius , sed nec

nec existialis aliquid esse videtur.

### §. 4.

#### *De exemplo.*

**E**xemplum argumentatio est, qua ab uno altero-  
ve singulari ad aliud singulare concluditur ob  
quandam inter ea similitudinem aut paritatis ratio-  
nem. Talis erat argumentatio S. Augustini, qua  
se ad sectandam morum honestatem ipse excita-  
bat: potuerunt hi & hi, cur non & ego? item  
ista: Petrus poenitentiam agens salutem consecutus  
est; ergo & ego, si poenitentiam egero, salutem  
consequi possum. Argumentatio ista principio ni-  
titur, quod similium eadem sit conditio, quo ad-  
hibito ad syllogismum facile reducitur. Unde  
ad analogiam pertinere argumentum istud, nec ple-  
nam facere probationem, nisi singularia quoad ea  
saltem, de quibus concluditur, omnino similia fue-  
rint, nemo non intelligit.

### §. 5.

#### *De sorite.*

**S**orites argumentatio est pluribus constans propositio-  
nibus ita inter se connexis, ut praedicatum pree-  
cedentis subsequentis fiat subjectum, donec in conclusio-  
ne praedicatum posterioris de subjecto primae praedice-  
tur; veluti est sequens argumentatio: mens ho-  
minis sui rerumque extra se positarum distincte sibi  
conscia est; omne ens sui rerumque extra se posita-  
rum sibi distincte conscientia cogitans est; omne co-  
gitans simplex est; omne simplex incorruptibile est;  
ergo mens hominis incorruptibilis est.

Q

### §. 6.

## §. 6.

*Resolutio soritis.*

**S**orites in tot syllogismos primae figurae resolutur, quot primam inter & ultimam habentur propositiones ita lege, ut secunda propositio sit major primi syllogismi, prima minor; conclusio, quae inde sequitur, sit minor syllogismi subsequentis, tertia vero soritis propositio sit major, & ita pergendo. Sic sorites praecedens reducitur hoc modo: *omne ens sui rerumque extra se positarum sibi distincte concium est cogitans; atqui mens hominis sui rerumque extra se positarum sibi distincte conscientia est; ergo mens hominis est cogitans. Omne cogitans simplex est; atqui mens hominis cogitans est; ergo mens hominis simplex est. Omne simplex incorruptibile est; atqui mens hominis simplex est; ergo mens hominis incorruptibilis est.*

## §. 7.

*Regulae soritis.*

**E**x quo intelligis duas esse soritis regulas: *1ma, ut omnes soritis propositiones exceptis prima & ultima sint universales. 2da, ut omnes exceptis duabus posterioribus sint affirmativaee.*

## §. 8.

*De dilemmate.*

**D**ilemma syllogismus hypotheticus disjunctivus est, cuius nempe majoris hypotheticae consequens disjunctivum est, atque in minore singula disjunctionis membra vel affirmantur, vel negantur, ut in

con-

conclusione porro vel adfirmetur, vel negetur antecedens. Talis est sequens argumentatio : *Si compositum cogitat, ergo vel singulae compositi partes seorsim, vel omnes simul, in quantum scilicet certo modo inter se unitae sunt, cogitant; sed nec singulae compositi partes seorsim, nec omnes simul, in quantum certo modo inter se unitae sunt, cogitant; ergo compositum non cogitat.* Ad valorem dilemmatis requiritur 1. ut disjunctionis membra accurate sibi opponantur ita, ut nullum inter ea medium possit adsignari. 2. ut minoris veritas manifeste ostendatur. Quodsi plura quam duo sint disjunctionis membra v. g. tria, trilemma dicitur &c. Vocatur quandoque etiam syllogismus cornutus, eoque per illud adversarius, quounque se vertat, valide impetratur.

### §. 9.

#### *De entyhemate.*

**E**ntyhemata argumentatio est, in qua una praemissa cum reticetur; veluti si dicas : *Petrus homo est; ergo Petrus est rationalis.* Ad syllogismum reducitur entyhemata, si praemissa, quae omissa est, addatur. Ut vero, quaenam ex praemissis sit omissa, facile intelligas, adverte, quodnam in praemissa expressa extremum habeatur, an majus scilicet, an vero minus? Sic, cum in entyhemata modo adducti praemissa expressa habeatur minus extremum, scilicet Petrus, manifestum est, adesse minorem, majorem vero esse omissam, quam si addas, prodibit syllogismus : *omnis homo est rationalis; Petrus est homo; ergo Petrus est rationalis.*

Q. 2

§. 10.

*De consequentia immediata.*

**A**b entymemate haud multum differt consequentia, quam vocant, immediata; quae, ut diximus, talis argumentandi modus est, in quo una propositione posita juxta regulas logicae ponitur altera. In hoc argumentandi genere ipsa regula logica majoris loco est; unde, si addatur, habebitur syllogismus.

*De epicheremate.*

**E**picherema syllogismus est, cuius alterutri, vel utriusque etiam praemissarum sua additur probatio v.g. Omne quod cogitat, existit: fieri enim nequit, ut, quod non existit, aliquid aut agat, aut patiatur; atqui ego cogito: nam mei, rerumque extra me positarum distincte mibi sum conscientis; ergo existo. Epicherema itaque non nunquam plures complectitur syllogismos, in quos, si res exigat, facile resolvi potest.

## CAPUT VIII.

## DE SOPHISTARUM FALLACIIS.

*Argumentatio quandonam vitiosa sit?*

**Q**uemadmodum, ut argumentatio quaelibet bona sit & legitima, ex dictis hac part. Cap. I. §. 5. requiritur, ut & propositiones in ea occurrentes omnes sint verae, & consequens cum antecedentibus.

cedentibus connexum sit ita, ut inde sequatur; sic argumentatio contra vitiosa est, quoties vel propositio quaedam falsa in eam admittitur, vel consequens inter & antecedentia seu præmissas non datur legitima connexio.

### §. 2.

*Fallacia seu paralogismus quid? Unde sophismata dicantur?*

Argumentatio, in qua vitium studio ad decipientem scilicet incautos admittitur, fallacia seu paralogismus dicitur. Sophismata vocantur ejusmodi argumentationes vitiosæ, eoquod Sophistæ, quo titulo olim honorifico dicebantur omnes, qui sapientiam profitebantur, a tempore Socratis veram sapientiam prodentes omne in id studium contulerunt, quo homines ingenuos argutiis, ambiguis scilicet falsisque argumentationibus circumvenirent.

### §. 3.

*Cur de fallaciis hic agatur? quam variae sint fallacie?*

Et quanquam ex traditis hactenus principiis regulisque difficile non sit, argumentationes vitiosas a legitimis discernere; utile tamen visum est, fontes saltem praecipuos vitiorum, quae ratiocinia, argumentationesque nostras corrumpunt, adsignare, ne vel alios decipiamus, vel decipiatur ipsi. Sunt autem *petitio principii, ignoratio elenchi, fallacia accidentis seu enumeratio incompleta, fallacia sensus divisi & compositi, non causa pro causa, ac variae demum aequivocationes.*

Q 3

§. 4.

## §. 4.

*Petitio principii.*

**P**etitio principii committitur, si id ipsum, quod quaeritur, vel saltem aequivalens medii seu principii loco adstruitur, veluti faciunt Protestantes, quando, ut probent Catholicos superstitiones, imo idololatras esse, hocce argumento utuntur: *Quis quis imaginibus cultum exhibet, & sanctos adorat, superstitionis est & idololatra; at qui Catholici imaginibus cultum exhibent, & sanctos adorant; ergo Catholici superstitionis sunt & idololatrae.* Quis enim Catholicorum cultum exhibet imaginibus, aut quis eorum sanctum unquam putavit adorandum? petitio- ni principii ad fine est aliud in argumentando vitium, quod circulum vocant vitiosum. Committitur autem circulus, quoties, quod ex alio probatum fuit, hoc ipsum rursus ad illud probandum adsumitur; veluti fieret, si quis aërem esse elasticum probaret ex eo, quod nisum continuum habeat sese expandendi, & rursus continuum hunc aëris nisum sese expandendi inde argueret, quod aër sit elasticus.

## §. 5.

*Ignoratio elenchi.*

**I**gnoratio elenchi est, si quis aliud quid probet, quam quod controvertitur. Ab hoc porro vi- tio immunes non sunt Protestantes, quoties de Clericorum caelibatu apud nos Catholicos quaestionem movent: etenim in eo plerumque occupantur, ut probent, nuptias esse licitas, quodque expeditat nu- bere, quamuri; cum tamen Catholicorum nullus hoc inficietur.

## §. 6.

## §. 6.

*Fallacia accidentis.*

**F**allacia accidentis contingit, quando quis de re simpliciter & absolute pronuntiat, quod illi solum per accidens convenit. Sic multi in artem medicam injurii evadunt sequenti contra eam argumentatione utentes: *ars, cuius remedia non raro nocent, reprobanda est; atqui artis medicae remedia non raro nocent;* ergo *ars medica reprobanda est.* Similibus, nec minus ineptis argumentis in scientias quascunque, earumque amatores debacchantur alii, quibus, ut sapient, precamur. Fallaciae accidentis haud multum absimilis est fallacia incompletae enumerationis; hoc vitio laborat sequens argumentatio: *Cajus in lite succubuit ob iniquitatem vel causae, vel judicis;* atqui *non succubuit ob iniquitatem causae;* ergo *succubuit ob iniquitatem judiciis:* potuit enim in causa licet aequissima, & judice haud quam inquo succumbere ob defectum probationis.

## §. 7.

*Fallacia sensus divisi & compositi.*

**F**allacia sensus divisi & compositi committitur, quoties ab uno ad alterum dicitur argumentum; veluti fit in sequenti argumentatione: *corpus non potest moveri simul & quiescere; sed lapis ex alto ruens movetur;* ergo *lapis non potest quiescere.*

## §. 8.

*Non causa pro causa.*


**F**allacia non causae pro causa est, si, quae aliquius causa non est, pro causa venditatur. Tale

fuit sequens Paganorum argumentum: *ex quo fides christiana viguit, mille calamitatibus oppressum est imperium romanum; ergo Religio christiana causa est calamitatum.* Cujus tamen nullitatem jam olim commonitravit S. August. *Lib. de civitate Dei.*

§. 9.

*Aequivocationes.*

Fallacia aequivocationis varie committitur: verum cum fallaciae in aequivocationibus consistentes fere omnes tales sint, ut non nisi stupidissimum quemque facile decipiant, operae pretium haud putamus, illis exponendis diu immorari,



LIBER